

monia de lege Moyſi adducere placet: ſicut & de lege naturæ duo adducta ſunt teſtimonia, Vnde Iohelis 3. Congregabo omnes gentes, & adducam eos in vallem Iofaphat, & diſceptabo cū eis. Ibi præmiſit, Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies domini magnus, & horribilis. Item pſal. 49. Deus manifeſtè veniet ſequitur, Aduocauit cælum deſuſum, & terram diſcernere populum ſuum. De lege gratiæ eſt teſtimonium Chriſti in præſenti euangelio, & Mat. 16. & totus iudicii ordo deſcribitur clarè Mat. 25. Item Act. 10. Petrus ait, Hic eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Item Rom. 14. Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti.

De hoc articulo multa dicenda forent. Sunt enim quædam præcedentia iudicium, vt Antichriſti perſecutio, mūdi turbatio, mortuorum reſuſcitatio. Sunt quædam comitantia, vt ignium conflagratio, meritorum diſcuſſio, ſententiæ finalis latio. Sunt ſequentia, vt mundi renouatio, malorum æterna puniſtio; electorum beatificatio. De quibus omnibus deest catholicum informatum eſſe, ſed propter temporis breuitatem ſolum de iudicio, & comitantibus ipſum nunc ſermo habendus. De iudicio finali tria tenenda ſunt ſecundum ſanctum Bona.

Tria de finali iudicio tenenda.

Primum, Sine dubio iudicium vniuerſorum futurum eſt, in quo Deus pater per Chriſtum iudicabit viuos, & mortuos, reddendo vnicuique ſecundum exigentiam meritorum. Sed dicet aliquis, Cur venit filius hominis ad generale iudicium, cum tamen in exitu anime de corpore per iudicium particulare quaelibet anima ad vitam iudicabitur vel ad mortem, ſecundum illud apoſtoli ad Heb. 9. Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium. Sed non obſtante iudicio particulari, conueniens eſt celebrari in fine ſæculi iudicium vniuerſale. Et hoc propter multas congruentias, quarum quatuor ponit Sco. lib. 4. diſt. 47. quæſt. 17. Prima, Congruum eſt ſeparari finali-

ter omnes malos ab omnibus bonis. Non enim malus communicat cum bono, niſi vel ab hoc, vt corrigatur malus, vel exerceatur bonus. Sed veniet finalis determinatio, vbi nec vltra boni exerceantur, nec mali corrigantur. Ergo congruum eſt fieri finaliter generale ſententiam, ergo & generale iudicium, vt ſeparatio illa generalis appareat iuſta. Secunda, quia in ſecretis iudiciis, quæ ſunt circa ſingulas perſonas, licet ſit iuſtitia, non tamen omnibus manifeſta. Rationabile ergo eſt, quod Deus habeat aliquod iudicium generale, in quo manifeſtetur ſententia, vel iuſtitia, quam exercuit in particularibus.

Tertia, ſicut res ſunt a primo difficilius ita reducuntur in primum, vt in finem, ſed præter ſpeciales exitus rerum à Deo per illam operationem, de qua dicit ſaluator Ioan. 5. Pater meus vique modo operatur, & ego operor, fuit vnus exitus vniuerſalis in prima rerum creatione, ergo à ſimili præter particulares reductiones congruit etiam vnã generalem reductionem fieri omnium in finem ſuum, & per conſequens ad hoc vnã finalem ſententiam diſcretiua quia mali non reducuntur. Quarta, quam magis ponderat. Præter hoc, quod vnusquisque aſcribitur regno, vel carceri, tota multitudo præuiſa ad regnũ debet aliquando determinari ad poſſidendum illud, & tota alia multitudo relinqui carceri, vt ſic fiat ſequeſtratio duarum familiarium, ſive duarum ciuitatum, vt tractat Aug. per totum de ciuitate Dei. Licet autem ſingulariter nunc ille, nunc iſte aſcribatur regno, nunc iſte, nunc ille carceri, tamen congruum eſt eſſe aliquod iudicium generale, per quod tota multitudo præuiſa ad regnũ mittatur in poſſeſſione regni, & tota altera relinquatur carceri. Hæc Scotus.

Et quia hoc iudicio, vt tactum eſt, partebit iuſta damnatio, ac præiatio ſingulorum ſingulis, neceſſarium eſt omnium & merita, & demerita patere omnibus, ſecundum illud apoſtoli 1. Cor. 3. Vniuſcuique opus manifeſtum erit.

Dies